

ra posse Logices genera constitui, manifestum ac perspicuum est. Zabarella lib. 1. de N. L. c. 7. 11. &c.

X.

His ergo seclusis opinionibus, reliquum est, ut ad illos propereamus, qui artem *Logicæ* genus omninò adimunt. Ac quamvis hæc sententia sit oculatissimorum Philosophorum, quorum ego auctoritatem semper magnifacio: cum tamen animum meum valde dubium ea reddat: liceat mihi pro Philosophica libertate veritatis investigandæ gratia, nunc ab ijs recedere, ac nostri instituti rationem exponere.

XI.

Logicam sanè ex artium Repub. nunquam penitus arcendam statui. Sive enim ex Luciano, sive ex Aristotele Artis definitio retineatur: utraq; non ineptum Logices genus determinare videtur. Quòd si contradicam, rationes contradictionis sufficientes nunquam vidi.

XII.

Imò sic Aristoteli ipsi contradicere, & eum imperfectionis arguere videntur, qui Logicen 5. habitibus illis 6. Ethic. enumeratis, accenseri posse negant.

XIII.

Nam ut è multis unum seligam, quod ad confirmandam nostram sententiam satis validum esse puto, sic ratiocinari libet: Si Logica nequit ad unum ex 5. habitibus ab Aristotele positus, referrì oportet illam enumerationem habituum esse mutilam & imperfectam, propterea quòd præter illos 5 dari potest adhuc alius diversus ab ijs. At posterius vix sunt concessuri, nec passuri, ut Aristoteles ab ijsipsis in tantam reprehensionem incurrat.

XIV.

Dico itaq; Logicæ in usu positæ genus accommodari etiam posse artem instrumentalem, pro ut ab Arist. 6. Ethic. 4. definita est: atq; sic ἐξαιμετὰ τῆς λόγῃ ποιητικῆς ὀργανικῆς naturam Logices aliquomodo exprimi posse, persuasum mihi habeo.

XV.

Cum enim πικρὸν sit opus post se relinquere: ipsa verò Logica in fabricandis secundis noëmatibus sit occupata: quibus, tanquam faber securi, in omni doctrinarum genere possit uti: causam non video sub-

B 2

esse